

317. **Principia.** — I. Adiuratio solennis licita est solis Ecclesiae ministris, quibus ab Episcopo expresse permittitur; caeteris autem in praesenti Ecclesiae disciplina sub gravi prohibetur; imo multis in locis *suspensionis* poenam incurrunt Clerici, qui sine debita Ecclesiae facultate exorcismos facere praesumunt. — S. Lig. *ibid.* n. 4.

II. Adiuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus iuramentum licitum aut prohibitum est; hinc quae de iuramento dicta sunt, etiam adiurationi sunt applicanda.

III. Solae intellectuales creaturae, homines scilicet et daemones, *directe* adiurari possunt; *indirecte* etiam creaturae irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustae, etc..., adiurando scilicet daemones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel Sanctos, ut iis, qui huiusmodi rebus utentur, assistant. — S. Lig. *ibid.* n. 3.

Adiuratio autem contra daemones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. — S. Lig. n. 5.

318. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Affirm., si Episcopus re plane cognita id approbet; sed a scandalo et Ecclesiae contemptu sedulo cavendum est.

QUAER. 2^o *De quibusnam rebus daemon interrogari possit?*

Resp. De omnibus generatim, quae ad eius expulsionem conducunt, v. gr. de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 3^o *Quomodo peccet, qui daemonem de iis, quae ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

Resp. Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; *a fortiori*, si cum ipso iocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 4^o *Quaenam sint signa verae possessionis?*

Resp. Praecipua sunt: 1^o loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis; 2^o occulta et distantia manifestare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3^o parere mandato mere interno Sacerdotis, etc.; 4^o maiorem apparere daemonis vexationem, aut maiorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc. — V. *Casus*, n. 303.

Generatim non facile credendus est aliquis a daemone possideri; quia verae possessiones nostris temporibus raras sunt, et pleraeque ex iis, quae perhibentur, falsae inveniuntur.

CAPUT III.

DE VOTO

319. **DEFINITIO.** Votum est promissio deliberata Deo (1) facta *de bono meliori*.

DIVISIO. Votum distinguitur.

1^o *Solemne* vel *simplex*, prout fit solemniter et ab Ecclesia acceptatur, seu ratum habetur, aut seclusa solemnitate et Ecclesiae acceptance emittitur (2).

2^o *Personale* vel *reale*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personae separabilis, promittitur.

3^o *Temporarium* vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

Agendum 1^o de conditionibus ad votum requisitis; 2^o de obligatione voti; 3^o de eius cessatione.

ARTICULUS I. — DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur, ac duae sunt praecipuae: 1^o intentio vera; 2^o materia apta.

§. I. *De intentione ad votum requisita.*

320. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens; votum enim est instar legis cuiuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus, quod assumit, sibimet imponit. Sufficit autem voluntas et deliberatio, quae ad peccatum mortale requiritur (3).

(1) Votum est actus patriae soli Deo debitus. Quare dum vovemus quaedam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorundem honorem. S. Alphonsus lib. 3. n. 194.

(2) Et hinc est discrimen etiam inter violationem voti simplicis et solennis, ut tetigimus, ubi de sacrificio. Alia, quae ad votum solenne spectant, commodius reservantur tractatui de statibus particularibus.

(3) Haec non significant, ad voti cuiuslibet validitatem sufficere eam discretionem ac maturitatem iudicii, quae sufficit ad peccandum mortaliter. Ad grave enim

peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus, sicut ad meritum sufficit generalis et confusa notio boni moralis; ad assumendam vero obligationem non sufficit generalis et confusa notio obligationis, sed requiritur perfectior cognitio oneris, ad quod se quis obligat; quae sane cognitio exigit, ut deliberantis menti obversentur adiuncta ad prudentem deliberationem scitu necessaria. Sic ergo intellige, quod par utrobique sufficiat mentis advertentia, quamquam ad assumendam aut voti aut sponsalium obligationem prudens deliberatio et advertentia sit difficilior, atque adeo maiorem postulet iudicii discretionem.

Hinc votum essentialiter differt a proposito; quia propositum quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, neque rei propositae ommissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. gr. propter inconstantiam, taedium aut negligentiam, quae per se peccatum veniale non excedunt. — S. Lig. n. 196-199.

321. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem iam cognitam?*

Resp. ad 1^{um} Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit; quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Resp. ad 2^{um} Valet, si qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel etiam si ille, qui vovet, etsi clare obligationem non cognoscat, in confuso tamen eam apprehendat, aut velit implicite, dum, v. gr., vult vovere hoc vel illud, prout caeteri vovere solent (4). Tenendum tamen generaliter est, non maiorem induci obligationem praeter illam, quam quis velit sibi imponere, atque apprehenderit. — S. Lig. n. 201.

QUAER. 2^o *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1^o *Neg.*, si error versetur circa substantiam rei, vel circa circumstantias substantiales, seu quae principaliter intenduntur, aut ad substantiam spectant, vel illam notabiliter mutant (5); quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. — S. Lig. n. 198. et alii.

Resp. 2^o *Affir.*, si error versetur circa circumstantias accidentales minoris momenti, quae voto non obstitissent, si secluso errore cognitae fuis-

(4) Ad votum sufficere potest promissio implicita. Ita quidem Religiosi vota emittunt mere profitendo *obedientiam iuxta Regulam*. Clarius id patet in susceptione sacrorum ordinum; nam licet non dicatur, *voveo*, vel *promitto* castitatem, votum tamen hoc fit implicite hoc ipso quod sciens, ecclesiam adnexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipis. Quod si quis hoc plane ignoraret, censet S. Alphonsus (lib. 6. n. 809.), eum probabiliter voto non obstringi; idque videri dubium vix potest; obligatio enim voti tota est a voluntate, quae sibi eam obligationem imponit; nulla autem est voluntas, ubi nulla est cognitio. Ecclesia tamen posset hunc adigere, ut vel a sacro ministerio abstinere, vel castitatem, et quidem votum emittendo (ut probabiliter habet S. Alphonsus lib. 3.

n. 200. post Laymann), servet, aut eerte ut *sacrilegii* reus sit, nisi servet, quia eam praecipit ex virtute religionis, ut idem S. Alph. (lib. 6. n. 809.) advertit.

(5) Non vitiat votum error circa causam mere impulsivam; quia haec est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam; v. gr. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quem putavit esse Romae: quem etsi intelligat deinde istuc non esse, non ideo desinit voto obligari. S. Alphonsus lib. 3. n. 198. Merito tamen advertit Sanchez (*Dec.* lib. 4. cap. 2. n. 51.), ob eiusmodi errorem praestari faciliorem dispensandi causam.

sent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentaliter, quae in voto adimplendo occurrere possint. — Ita S. Lig. (6), Elbel.

322. — **QUAER.** 3^o *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1^o *Neg.*, si metus sit gravis, iniustus et incensus ad extorquendum votum. Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per iniuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturae postulat, ut ius in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, eiusmodi vota esse invalida iure naturae. Constat autem ex Iure canonico quoad vota solemnia Religionis, et probabiliter etiam quoad caetera vota, iuxta interpretationem communiorum theologorum. — S. Lig. n. 197.

Resp. 2^o *Affirm.*, si metus oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi vovendi usum rationis adimat; ratio, quia eiusmodi vota sunt simpliciter voluntaria. Item si metus proveniat ex causa levi, quia levis metus non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio, quam causa voti. — Ita communiter cum Sanchez (7), Azor, Salm.; et S. Lig. dicit id *probabiliter*, n. 197.

QUAER. 4^o *An voto teneatur, qui dubitat, utrum votum vel merum propositum emisit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1^{um} *Neg.* Constat ex dictis de probabilismo. Si autem promittendo credidit se peccaturum, si forte rem propositam non exequeretur, iudicari potest eum vere vovisse (8). — S. Ligorius n. 201.

(6) S. Alphonsus tamen (lib. 3. n. 198.) non negat esse probabile, quod votum invalidet error etiam in circumstantiis accidentalibus, si hae sint magni momenti, et si ipsis cognitis votum emissum non fuisset.

Excipi tamen debent vota, quae emittuntur post novitatum in quocumque approbato Ordine; quippe quae irrita non sunt ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam S. Alph. l. c. *Ratio est* (inquit Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 22. n. 88.), *quia in iis quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas iuxta naturam rei, de qua agitur, accomodat se et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independentem ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia*

Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

eiusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo ipse status, quod non est iuxta naturam rei, de qua agitur. Et ut adiungit Sanchez (De Matrim. lib. 10. disp. 9. n. 20.) ex huiusmodi dependentia sequeretur plures professiones et pleraque matrimonia censenda esse irrita; quod cederet in grave reipublicae damnum et scandalum.

(7) Sanchez tamen (*In Dec.* lib. 4. cap. 3. n. 23.) probabilem censet eorum opinionem, qui tenent, invalida esse vota, quando metus etiam respective levis, iniustus tamen, et reipsa causa vovendi fuerit: quod isti affirmant tum de votis simplicibus, tum de religiosa professione saltem quoad conscientiae forum; nam in foro externo levis metus non praesumitur causa voti.

(8) Excipe tamen rudes, qui non raro

Resp. ad 2^{um} *Neg.* ob eandem rationem, quando positive et graviter dubitet de sufficienti deliberatione. Plerumque ex perspectis circumstantiis res definienda est. — S. Lig. affirmat n. 196. (9). — V. *Casus*, n. 305. et seq.

§. II. *De materia voti.*

323. **Principia.** — I. Materia voti debet esse res *moraliter bona*, imo de *bono meliori*. Ratio, quia Deus non colitur actione indifferenti, vel cuius positio non sit melior, quam omissio. Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur.

falso se peccare autumant, dum propositum frangunt, praesertim si de piis quibusdam operibus suo tempore peragendis v. gr. coronam B. Mariae Virg. recitandi quotidie, aut singulis sabbatis ieiunandi etc. agatur.

(9) Suarez postquam varias causas recensuit, propter quas de sufficienti deliberationis defectu dubium esse potest, nimirum vel ob imbecilem aetatem, vel ob statum ebrietatis aut dementiae, vel ob vehementem aut irae aut timoris affectum, merito concludit, dissidium si quod est inter DD., non versari circa principia nempe an validum sit votum, ubi sufficientia deliberationis est incerta, sed quandonam defectus iste supponi debeat vel non supponi. Ita ille (*De Relig. Tract. 6. lib. 4. cap. 6. n. 10.*): *Adverto... aliud esse quaerere, an stante vero dubio de usu rationis actuali et sufficiente ad liberum consensum, nascatur obligatio, aliud vero esse quaerere, quando sit, vel non sit tale dubium. In priori quaesito semper verum est, stante hypothesisi quod tale dubium verum sit, votum non obligare, quia est dubium an sit votum, et ita procedunt omnia supra dicta. Dicti ergo Auctores proprie tractant secundam quaestionem, et in eo sensu dicunt, votum factum ex calore iracundiae, si non constet positive et per iudicium fere certum abstulisse usum rationis, obligare, quia*

solus calor iracundiae per se non sufficit ad constituendum morale dubium de sufficienti usu rationis, nisi aliae circumstantiae accedant.

Salmanticenses (Tr. 17. cap. 1. n. 11.) recte affirmant cum aliis, non esse sufficiens indicium defectus libertatis ac deliberationis, quod statim voti quempiam poeniteat. Id enim ex animi levitate inconstantiaque oriri potest. Verum ipsi (ibid.) aliam rationem reddunt, nempe quod saepe contingat, actus plene deliberatos a nobis statim retractari ob novam difficultatem, considerationem, aut circumstantiam; ad quae spectare videtur S. Alphonsus (lib. 3. n. 196.), ubi hunc locum Salmanticensium allegans dicit, *videndum an adsint aliae circumstantiae adiunctae.*

Verum ista alicuius idoneae explanationis indigent, ut conciliari possint cum alia doctrina, quam Salmanticenses (ibid. n. 152.) habent, et post eos S. Alphonsus (lib. 3. n. 226.) sic affert: *Ipsimet Salmanticenses c. 1. n. 152. censent, illam esse notabilem mutationem, quae si a principio fuisset cognita, quis non se obligasset. Haec sententia (scil. quod in casu nulla est voti obligatio) mihi videtur non minus probabilis, imo forte probabilior, quam prima... Quia superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa, quam promissa.*

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis*; quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile*. Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum (10), non valet autem, si sit moraliter indivisibilis. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 202.

324. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An valeat votum de materia iam aliunde praecepta?*

Resp. Affirm., primo quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde vero votum huiusmodi est de re bona in se, cum praecepta supponatur, et est de bono meliori, cum novum vinculum ad maiorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit (11). — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 213. — Salm.

QUAER. 2^o *An valeat votum rei bonae cum fine pravo, aut conditione mala?*

Resp. Ad 1^{um} *Neg.*, si finis malus se tenet ex parte rei votae, v. gr. si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio. Ratio, quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Secus dicendum, iuxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. gr. si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externae* voveat. — S. Lig. n. 206. (12).

(10) Excipe tamen, si eonstaret, voventem *per modum unius se voluisse ad utramque partem obligare, et indivisibiliter utramque praeculis habuisse.* Ratio, quia votum est *lex particularis, quae non extenditur ultra intentionem voventis: et ideo si vovens collective promisit utramque partem, atque unam dependentem ab altera, si una sit impossibilis... totum votum irritum manet.* Ita Salmanticenses (Tr. 17. cap. 1. n. 74.) qui mox plura (ibid. n. 75-76.) exempla subiiciunt votorum quae vel servanda sunt ex parte, quae possibilis manet, vel irrita ob alicuius partis impossibilitatem censentur.

(11) Insuper actionibus ex huiusmodi voto positis nobilitas, quae ex virtute Religionis profluit, uberiorisque meriti ratio accedit.

(12) Innuit hoc loco S. Alphonsus opinionem quoque Salmanticensium (Tr. 17. cap. 1. n. 66-68.), invalidum nempe esse votum, etiamsi *pravus finis solum sit impulsivus, sed sine quo votum non fieret*: quae quidem pugnantia videri possunt: quando enim causa actus est eiusmodi, sine qua actus non fieret, non dicitur solum *impulsiva*, sed *motiva principalis, primaria*. Caeterum si finis est mere *impulsivus*, est ergo finis alteri fini principali adiunctus. Ergo hic finis non est totalis nec principalis causa rei votae seu vovendi. Atqui eiusmodi finis principali sic superadditus non corrumpit omnino actum formaliter ex obiecto bonum sed haberi potest ut quidpiam ex accidenti adveniens et actui extrinsecum. Ergo non tollit voti validitatem.

Resp. Ad 2^{um} *Affirm.*, si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi coniuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit; non laedi tamen non est malum, sed Dei donum; et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat ex malae conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. — Laymann, lib. 4. Tr. 4. cap. 2. n. 7.

QUAER. 3^o *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1^o Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est. — Trid. sess. 6.

Resp. 2^o Valet autem votum vitandi omnia mortalia, vel omnia venialia plene deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia et sine speciali privilegio, si tamen de personis piis agatur (13). Item valet votum non committendi venialia certi generis, v. gr. nunquam mentiendi, quamvis ob nimiam executionis difficultatem eiusmodi vota quoad plerosque non expediant — Bouvier, et alii non pauci.

ARTICULUS II. — DE OBLIGATIONE VOTI

325. **Principia.** — I. Votum obligat *per se*, sicut lex vel praeceptum Ecclesiae, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quaedam lex privata, quam quis sibi imponit.

(13) Intellige personas non utcumque pietatem profitentes, sed (ut habet S. Alphonsus, lib. 3. n. 203.) christianae perfectioni impense studentes. Idem dicito de voto vitandi venialia certi generis; validum enim erit, ut inquit (ibid.) S. Alphonsus, *in personis magnae virtutis*, idest in solida virtute diu exercitatis; *in aliis vero modicae virtutis erit materia impossibilis; imo* (pergit S. Alph.) *in aliquibus materiis, puta cogitationum inhonestarum* (intellige quoad subreptionem quamlibet vel levissimam, non vero quoad culpam plane deliberatam), *otiosarum etc. cum sint inevitabiles quoad omnes votum est nullum.* Et huc pertinet votum vitandi actus impatientiae seu iracundiae. Cum enim passio irae indifferens sit ad bonum et ad malum, irasci aliquando non solum rationi consentaneum est, sed plane necessarium; alioquin autem ita tenere medium, ut nec per excessum quis peccet

nec per defectum, difficillimum est, ne moraliter impossibile dicam.

Addunt alii (apud Suarez *De Relig.* Tract. 6. lib. 2. cap. 3. n. 2.), validum non esse votum vitandi omnia mortalia, vel mortalia cuiusdam generis, si de persona fragili agatur. Cui sententiae licet Suarez ipse non adhaereat, probat tamen, quod ait Navarrus, eiusmodi vota nec utilia esse nec expedire, et sufficientem adesse causam dispensationis seu commutationis. Quae de re puerile est, quod nonnulli oggerunt, huiusmodi dispensationem aequiparari fictitiae peccandi, quae proinde neganda sit. Neque enim petitur aut conceditur haec dispensatio, ut liberius quis peccet, sed ut tollatur superadditum vinculum, quod inspecta voventis fragilitate, hunc a peccando non retrahit, et sic potius quam in ipsius spiritualem utilitatem ac Dei gloriam, imo illi in laqueum, Deo autem in graviorem offensam unice cedit.

II. Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. Ratio est, quia sicut legislator vel Superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. — Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est gravis obligationis capax (14). — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 211. et 213.

326. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam materia per se censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp. Illa materia gravis censeatur, quae cum ab Ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut ieiunium, Missa, etc..., vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum confert. — Reuter.

QUAER. 2^o *An plures materiae leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Neg., si materiae leves voveantur separatim, ita ut obligatio sit affixa praecise tempori vel diei, seu ad diem illum sanctificandum. — Secus, si materiae leves per modum unius voveantur, ita ut diei determinatio non accedat nisi ad executionem urgendam, ut fere fit in votis realibus, excipe tamen, nisi aliud ex voventis constet intentione, ex qua tota obligatio et ratio obligationis pendet (*).

327. — **QUAER.** 3^o *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. Neg., saltem ratione voti; ratio, quia votum est onus personale

(14) Ad prudentiam Confessarii pertinet ea de re monere poenitentes, qui sponte voverint; ne scilicet (quod subinde contingit) ex conscientia erronea graviter peccent, etiam ubi voti materia gravem obligationem non admittit. Ad eandem pertinet prudentiam, quod poenitenti vovendi cupidus Confessarius suadeat, ut etiamsi gravis sit materia, levem tantum nihilominus assumat voti obligationem; quo scilicet graviter offendendi Deum longissime absit occasio. Quae quidem causa extitit, cur plures sanctissimi et sapientissimi Religiosorum Ordinum Institutores, ut regularis observantiae cupidissimi, attamen ad averteudas divinae offensae occasiones statuerint, ut Regulae Dei instinctu conditae nullam *per se ac vi sua* obligationem in-

ducerent, quae violatores peccati reatu constringeret.

Et quidem nihil impedit, quominus votum sub levi obligatione nuncupari possit in illa quoque materia, quae spectato iure naturae sub gravi obligat, v. gr. in materia castitatis.

(*) Haec et similia quae heic occurrunt, falsam possunt gignere rei existimationem. Homo quidem sponte accipit obligationem, libere se subiiciens legi: sed obligatio servandi voti non est ab homine, sed a lege naturali vel divina, quae, posita libera emissionem voti, obligat, ut nequeat sese homo eximere ab ea obligatione. Si homo sibi ipsi imponeret obligationem, ipse eandem posset auferre; eius enim est obligationem auferre, qui eam imponit.